

DECEBALVS REX DACIAE.



Decebalus rex Dacorū suo tempore Roma-  
nis erat formidabilis. fuit enim in cognoscē  
dis rebus bellicis perspicax, in agēdo solers, ad in-  
uadendum hostem promptus, & ad regrediendū  
(sī ita res postularet) celerrimus. Nouerat etiā o-  
ptimē insidias struere, prālium committere, uicto-  
ria uti, & acceptam cladem moderate ferre. Cum  
itaq; talis esset, Traianus Imperator ipsos Dacos  
cum reliquis Germanis ad foēdus pellexit. Verū  
Decebalus Romanorum calliditatem intelligēs,  
qui foēdera tantūm ad suam utilitatem inirent &  
soluerent, author Germanis fuit, ut foēdererupto  
suā libertatē strenuē tuerent, presertim cū Roma-  
ni bello Parthico occupati essent. Propterea omnes suo exēplo animare cu-  
piens, arma comparat, transfugas recipit, arcēs instaurat, atcq; finitimas natio-  
nes ad defectionem incitat, anno post Christum natum centesimo primo. Id  
cum Romæ nunciatum esset, Decebalus à Senatu hostis iudicatur. quoniam  
uerò aliquoties iam Romani Germanorum fortitudinē experti erant, statuit  
Traianus Imperator per se, & non per alios copiarum duces id bellum confi-  
cere. Itaq; quam maximo potuit exercitu ad Danubij ripam profectus est.